

cogitare: Nec enim ipsi sacrilegi & detestandi qui perversa & falsa de Deo sentiunt, ausi sunt dicere non est Deus: ubi nota in scripturâ sacrâ phrases loqui ad cor, vel super cor, vel in corde, esse vel blandè sive suaviter alloqui & consolari, vel animo aliquid volvere sive cogitare. Prioris exempla sunt Gen. 34. v. 3. locutus est Sichem ad cor puellæ Gen. 50. v. 22. locutus est ad core eorum, Esai. 40. v. 2. loquimini ad cor Ierusalem: Posterioris hic, v. 1. & Psalm. 15. v. 3. Qui loquitur veritatem in corde suo.

§. 4. Non est Deus Mimesis: Sed inquias; an ergo impii nihil prorsus de Deo sciunt. Rx. Imò, τὸ γνῶστον τὸ θεῖον cognitū est illis Rom. 1. v. 19. sed cū cognovissent Deum nō sicut Deū glorificaverunt aut grati fuerunt, sed stulti facti sunt in cogitationibus suis & mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei &c. ibid. v. 20. & seqq. Bernhard. serm. 30. ex parv. hoc ait nec scire & in corde quoque negare, qui nec Deum putat justum nec pium: Atq; hinc exorta est disputatio illa Scholasticorum: Vtrum per se sit notum, quod Deus sit. Deinde nihil sciunt impii & Ethnici de Deo ratione notitiæ salvificæ, Galat. 4. vers. 8. 1. Thess. 4 v. 5. Actor. 17. v. 23.

§. 5. Corrupti sunt, Chrysostomus intelligit corruptionem idolatriæ, & abominabiles facti sunt, tanquam morbida, putrida & putida cadavera, quæ abominationis Metaphora in scriptura sacra frequens est. Dicuntur enim idolorum cultores abominabiles, Of. 9. v. 10. & idola ipsa abominatione, Deut. 7. v. 25. & 26. v. 12. 31. cap. 13. v. 41. c. 27. v. 15. Ezech. 8. v. 6. & seqq. Daniel. 9. v. 27. & 11. v. 31. sic omnes perversi mores & virtus dicuntur abominationes & abominationes gentium Levit. 18. v. 22. 26. 29. Deut. 17. v. 1. Hiob. 11. v. 20. Proverb. 15. v. 9. & 16. v. 5. & passim.

§. 6. In studiis suis, hoc est, ut Hiob cap. 34. v. 27. dicitur, quasi industriâ receperunt à Deo, & vias ejus intelligere no-
luerunt